

**La légende de l'ascension du Canigou par le roi d'Aragon Pere II, dit Pierre le Grand (1276-1285), selon Salimbene de Adam (1285)<sup>1</sup> :**

DE COMMENDATIONE PETRI ARAGONIE REGIS, QUE IN EXEMPLO SUPPOSITO DEMONSTRATUR. Iste Petrus rex Aragonie fuit homo magnifici cordis et fortis armatus et doctus ad bellum. Nam homo fuit magne audacie et multa presumpsit, ut patet in negotio regni Sicilie, quod contra regem Karolum et papam Martinum ausus fuit invadere. Patet etiam hoc ipsum in alio exemplo, isto videlicet quod subicimus. In confinibus Provincie et Hispanie mons altissimus eminet, qui ab illis qui partes illas inhabitant mons Canigosus appellatur, quem nos montem Caliginosum possumus appellare. Hic mons navigantibus per mare, cum veniunt, primus apparet, cum vero recedunt, ultima terra est, post quam aliquam videre non possunt. In isto monte nunquam habitavit homo, nec filius hominis super eum ausus fuit ascendere, propter eius nimiam altitudinem et propter difficultatem itineris et laboris. Circa radices vero montis istius habitatores existunt. Cum autem Petrus Aragonum super istum montem cogitasset ascendere, volens experiri atque cognoscere quid in montis cacumine haberetur, vocatis duobus militibus, amicis necessaris, quos intime diligebat, exposuit illis quod facere disponebat. Qui gavisi sunt et promiserunt ei quod non solum tenerent secretum, verum etiam quod nunquam separarentur ab eo. Assumptis ergo victualibus et congruentibus armis, dimissis equis ad montis radices, ubi habitatores existunt, ceperunt pedestres paulatine<sup>2</sup> ascendere. Et cum iam multum superius ascenderissent, ceperunt audire tonitrua horribilia et terribilia valde. Insuper corruscations et fulgura apparebant, grandines et tempestates descendebant, ex quibus omnibus pavefacti, cadentes in terram, velut exanimis facti sunt pre timore et expectatione que supervenerat illis. Petrus vero, qui robustior erat et fortior et qui desiderium cordis sui complere volebat, confortabat eos ne deficerent in afflictionibus et terroribus illis, dicens quoniam labor iste adhuc honorem eorum et gloriam redundaret. Et dabat eis comedere et cum eis pariter comedebat. Et post recreationem et fatigationem itineris et laboris iterum hortabatur eos ut secum valenter ascenderent. Et sic multis vicibus factum est atque dictum. Tandem illi duo socii Petri regis ceperunt deficere, ita quod pre nimia lassitudine itineris et tonitruorum timore vix poterant respirare. Tunc Petrus rogavit eos ut expectarent eum usque ad vesperam diei sequentis, et si tunc non rediret ad eos, de monte descenderent et irent quo vellent. Ascendit igitur Petrus cum magno labore solus. Et cum in cacumine montis fuit, lacum invenit ibidem. In quem cum lapidem proiecisset, egressus est ex eo draco horribilis et magne magnitudinis et cepit per aera volitare, ex cuius flatu obtenebratus et obscuratus est aer. Post hec Petrus descendit ad socios et quicquid viderat et fecerat totum sociis retulit, exposuit et narravit. Et descendantibus illis de monte precepit eis ut quibus vellent hec omnia divulgarent. Videtur michi quod hoc opus Petri Aragonum possit connumerari cum operibus Alexandri, qui in multis terribilibus negotiis et operibus voluit experiri, ut laudem in posterum mereretur.

*Cronica*, anno 1285.

---

<sup>1</sup> Source : Salimbene de Adam, *Cronica* (2 vol.), t. II (a. 1250-1287), éd. Giuseppe Scalia, Turnhout, Brepols [CC CM cxxv a], 1999, p. 897-898. Edition antérieure : ed. O. Holder-Egger, *Cronica fratris Salimbene de Adam, Ordinis minorum*, Hanovre-Leipzig, 1905-1913, dans *Monumenta Germaniae Historica* (MGH), Scriptores (in Folio), n°32, p. 599-600 [cette édition est disponible sur le site des MGH].

<sup>2</sup> *Sic.*